

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0441

0439

0445

0435

0450

0430

0490

0390

0540

0340

0940

Ende

Anfang

427

nobis placeret, proficisci vellet nobiscum et nos defendere ab
incursibus. Nos autem eum licentiavimus et a lacu recessi-
mus proficiscentes cum festinantia. Ingressi autem sumus in
occasu solis terribilem solitudinem, dictam Minschene, ubi
erat torrens ingens cinctus rupibus et petrosis montibus, quae
omnia erant albissima et terra tota erat ut calx exstincta. In
illo torrente tentoria fiximus ad manendum ibi illa nocte, cum
multis autem discursibus vix materiam pro igne faciendo
comportavimus. Porro ante nos etiam quieverat ibi unus
exercitus camelorum, quia multa stercora ibidem erant, et quia
stercora illa arentia erant, ea collegimus et ad ignem compor-
tavimus, non enim erat una plantula in illo loco.

Sexta decima statim transacta media nocte excitavit
nos Calinus ad recessum et cum impatientia et murmure sur-
reximus, incipiebat enim nobis labor itineris gravis et mole-
stus fieri et praecipue nostris infirmis, qui graviter gemebant
pro labore itineris; nam tota die in solis fervore et partem
noctis in frigore et rore incedere, sine coctis et calidis ciba-
riis, cum tanta siti, grave est homini sano, taceo de infirmis.
Saepe miratus fui in deserto existens, quod sacra Scriptura
ita graviter reprehendit murmur filiorum Israel et quod ita
dure correcti fuerint pro murmure, sicut patet 1. Cor. X.,
quomodo murmurantes a serpentibus perierunt. Murmurabant
enim vel pro labore, ut habetur Num. XI., vel pro siti et
inedia, Exodi XVI., vel pro loci vastitate, Num. XX., vel
pro aliis humanis defectibus. Et semper fuerunt gravissime
puniti. Confusus steti in mente mea et saepe timui divinam
punitionem pro murmure nostro et haesitavi, an labor noster
esset meritorius cum tanta impatientia. Igitur oneratis camelis
et stratis asinis de deserto Minschene recessimus et in ortu
solis in solitudinem asperrimam et regionem aridissimam et, si
fas est dicere cum filiis Israel Num. XX., in locum pessimum
ducti sumus, qui in veritate nec seri potest, nec aliquid ibi
crescere potest pro vita humana. Dicitur hoc desertum Larich
et sunt in ejus dextera parte montana albissima et similiter a
tergo. Sed contra orientem habuimus latissimos campos,
quorum lapides et arena nigra et adusta erat, ac si ignis
recens per campos illos combustilia consumisset, odor etiam

